





*1715, 15* *A9*  
*46.*

# IO. CHRISTIANI SCHRÖTERI, D.

FACULTATIS IVRIDICÆ ET SCABINATVS  
ADSESSORIS, ILLIVSQUE HOC TEMPORE  
DECANI

## PROGRAMMA

### LECTIONI AVSPICALI

## GEORGII WOLFGANGI SCHÜRSTABII.

SVMMORVM IN VTRQVE IVRE HONORVM

CANDIDATI

### PRÆMISSVM

ad L. 8. H. de condic. ob Europem euram

IENÆ,

TYPIS WERTHERIANIS.

IO. CHRISTIANI SCHROTERI D.

LECALITATIS IARIDICAE ET SCVLINATAS  
ADRESSORUM. ITINERARIE HOD TIMORE

DENOVI

PROGETVMM

CETIAGNI. AYRAGA

GEORGII WOLFGANGI SCHÜSTERI

MUSICOLOGIA IN VARIOPOSA TUL. MONODIA

GENOPESTI

KAMISU

ALLEGORIAE. VITAE. MUSICOLOGIA

IBRA

TITUS ASTRIDELLAUS



Uod D. Justinianus Imperator,  
S. fin. Inst. de Just. & Jur. vero  
elogio de Romanorum legibus  
praedicat, collectas videlicet eas  
esse ex naturalibus preceptis,  
aut gentium, aut ciuilibus; quod-  
que elegantissimis verbis repetit  
eximiae eruditionis iureconsul-  
tus Jan. Vinc. Grauina, principio praeclarri operis *de*  
*Ortu & progressu iuris ciuilis*: *Nihil, inquiens, aliud*  
*est ius ciiale, nisi naturalis, ad Romanę reipublicę in-*  
*sstitutionem relata, Romanisque moribus & litteris ex-*  
*plicata ratio*; id tum alii multis, ac propemodum  
infinitis, ex ipso Romani iuris volumine, firmari  
potest exemplis; tum in primis nobilissimum eius rei  
argumentum nobis suppeditat Paullus JC, in *Lege VIII.*  
*Dig. de Conditione ob turp. causs.* Hic de iure inter-  
rogatus *Libro III. Questionum* his verbis respondisse le-  
gitur: *Si eb turpens caussam promiseris Titio, quam-*

162

vix

vis, si petat, exceptione doli mali, vel in factum submouere eum possis, tamen, si solueris, non posse te repetere, (respondeo:) quoniam sublata proxima causa stipulationis, qua propter exceptionem inanis esset, prissima causa, id est, turpitudo, supereffet; porro autem si & dantis & accipientis turpis causa sit, possesorem potiorem esse, & ideo repetitionem cessare, tametsi ex stipulatione solutum est.

Nimirum quemadmodum ut promissa & pacta nos obligent ad dandum aliquid vel faciendum, quod antea non debebamus, aut omittendum, quod antea iure poteramus facere, ciuili pariter ac naturali iure requiritur ultroneus noster consensus: ita, quod ad materiam conventionum attinet, utroque etiam iure cautum est, ut ne quod promittimus aut stipulamur, sit supra vires nostras positum. Quilibet enim promissio vim ac potentatem accipit ex facultate promittentis, neque ultra extenditur: seu, nemo potest validè sese obstringere ulterius, quam ipsi est potestas. Hinc impossibilium nullam esse obligationem, verissimum est iuris enunciatum L. 31. D. de Reg. Iur. Pro impossibilibus autem habentur non ea tantum quæ naturales agendi vires supergrediuntur; sed & quæ in honesta sunt ac turpia. Quod Papinianus in lege 15. D. de condition. institution. pulchre sic exprimit: *Quæ facta ledunt pietatem, existimationem, reverendiam nostram, & ut generaliter dixerim, contra bonos mores sunt, nec facere nos posse credendum est.* Idemque JC. in lege 123. D. de Verb. Oblig. Si flagitiis fa-

cione

36 (d) 58  
ciendi, vel facti causa concepta sit stipulatio, ab initio non valet. Et Paullus in lege 35. D. eiusdem tituli. Si stipulor, inquit, ut id fiat, quod natura fieri non concedit, non magis obligatio consistit, quam cum stipulor, ut detur; quod dari non potest. Quæ omnia ita sunt comparata, ut non ad Romanorum duntaxat ius restringenda, sed immo ad naturalem etiam obligationem fint referenda.

Ceterum id quoque, si iuris naturalis philosophiam spectemus, apertissimum est, ipsam promissiōnem vitiosam, ipsoque adeo iure nullam esse, quæ ob causam morali estimatione turpem, facta sit, ut si quid promittatur homicidii perpetrandi causa. Eo ipso enim, quod nemo valide se potest obstringere ulterius, quam ipsi est potestas; & qui lege actionem prohibet, utique potestatem eam suscipiendi, & de eadem præstanda obligationem admittendi, admitit; consequens est illam ipsam obligationem inualidam, atque pro nulla habendam esse. Verum an eodem modo Romanorum quoque iure comparata sit res, non satis est expeditum. Sane, quam primo loco laudauimus, lex 8. D. de conditione ob turpem causs. hoc significare videtur, ut valeant quidem ab initio stipulationes turpes iure ciuili; sed exceptione dolii mali aut in factum opposita, infirmentur. Ita enim respondet iureconsultus: *Si ob turpem caussam promiseris Titio, quamvis, si petat exceptione dolii mali vel in factum submovere eum possis; tamen si solueris, non posse te repeterem.* Quibus verbis hoc dicere Paullum

adparet, quod ob turpem causam promissum est, si id stipulator petat, posse eum dolii vel in factum exceptione remoueri: hoc vero quid aliud est, quam promissionem ob turpem causam factam ipso iure valere. Iuvat etiam hanc interpretationem, quod idem *J.C. Paulus in lege 134. D. de Verb. Obligat.* respondit: *Ex stipulatione, qua non secundum bonos mores interposita sit, agenti exceptionem dolii mali obstaturam.*

At enim vero suauissimam hac quoque in re esse iuris naturalis & civilis concordiam, penitus nobis persuasum est. Nimirum non est vera exceptio, nisi aduersus actionem ipso iure constitutam, comparata, nulla speciatim, qua stipulationi opponi possit, nisi cum iure ciuili actio nascitur ex stipulatione, & agente stipulatore ista est eius intentio, ut proinde ad eam impugnandam exceptione sit opus: quod notius est, quam ut in eo probando laborare oporteat. *Vid. tot. tit. Inst. de except.* Iam vero stipulationem ac promissionem, ex causa naturaliter turpi factam, reuera ipso iure nullam ac inualidam esse, tum ex superiori adductis legibus adparet, tum ex eo quoque liquidissime probatur, quod Imperator ait *S. 24. Inst. de iniurilibus stipul.* *Quod turpi ex causa promissum est, devoluti si quis homicidium vel sacrilegium se facturum promittat, non valet.* Similiter in *lege 26. D. de Verb. Oblig.* conceptis ac rotundis verbis dicitur: *Generaliter nouimus, turpes stipulationes nullius esse momenti.* Idem totidem pene verbis definitum est in *lege 4. Cod. de Inuiil. Stipul.* *Quonia, que contra bonos mores,*

*mores, vel in pactum, vel in stipulationem, deducuntur, nullius momenti sunt.* Atqui in iure nostro hoc dicitur *nullius esse momenti*, quod plane inutile est, quod ne iure quidem civili valet, ut ad impugnandum id non sit alio auxilio opus; ut declaratur aperte in lege, *Non dubium. 5. Cod. de LL.* Itaque hoc etiam modo stipulationes, impossibili conditione adiecta, *nullius momenti, inutilidasque ac inutiles esse dicimus*, ut nulla omnino ex illis obligatio sit. Hoc enim volunt Leges superius laudatae. Et ut loci tam multi in eam sententiam in medio non essent: tamen cum fatemur, turpes stipulationes esse contra bonos mores, ac proinde contra ius, vel hoc ipso, etiam si desint cetera, quid consequens sit facile adparet: si modo tenemus id, quod traditum est in *cit. lege 5. Cod. de LL.* *quidquid sit lege prohibente, non solum inutile, sed etiam pro infecto baberi.* Vnde ibidem de omni conventione adiectum est, quod hic in primis pertinet, *nullum pactum, nullam conventionem, nullum contratum, inter eos videri subsecutum, qui contrabunt, lege contrabere prohibente: proinde certum esse, nec stipulationem huiusmodi tenere, nec mandatum ullius esse momenti.* An vero dubitamus ea contra ius esse, quae sunt contra bonos mores? atqui vero mores sunt *o*ptima pars iuris civilis, *l. 32. D. de LL.* nec in moribus ulli maiorem vim veri iuris obtinent, quam qui dicuntur boni mores. Non est igitur ambigendum, quin, quae stipulationes contrabonos mores sunt, quas ideo turpes appellamus, et ad regulam Legis *Non dubium.*

bium. cum maxime pertineant, adeoque pro infectis  
 ipsoque ciuili iure pro nullis habenda sint. Sequitur,  
 vt ad pugnantem specie Paulli definitionem *in alleg.*  
*S. D. de condit. ob turpem caus.* respondeamus. Et pri-  
 mo quidem minime absonum est dictu, neque omnem  
 stipulationem, quæ ob turpem caussam facta sit, tur-  
 pem esse, et si pleraque huius generis tales sint; ne-  
 que de omni, quæ ob turpem caussam interposita, sti-  
 pulatione, Paullum agere, sed de ea tantum, quæ non  
 sit turpis: hoc est, quæ in se nullam turpitudinis cau-  
 sam, neque verbis, neque rei promissæ conditione in-  
 clusam habeat: quamuis nulla, alia de caussa facta  
 sit, quam vt turpe aliquid faceres, de quo & prius  
 inter nos actum erat, cuius etiam caussa stipulatio se-  
 cuta est; sed caussa cogitata & constituta solum ex-  
 trinsecus, non autem stipulatione comprehensa. Ve-  
 re enim à Bartolo ad laudatam legem scriptum est,  
 cum quid ob turpem caussam promittitur, caussa qui-  
 dem turpi nominatim expressa, stipulationem esse in-  
 uitilem, ea autem non adiecta, valere ipso iure, sed a-  
 ctionem per exceptionem infirmari. Deinde vero bo-  
 na interpretationis regulæ suadent, quæ obscure in uno  
 aut altero loco dicuntur, ex indubitatis assertionibus  
 sic interpretari, vt cum rebus certis consentiant. Qua-  
 re dicendum, Paulli quoque sententiam esse, turpes sti-  
 pulationes nullius, vt in superioribus monstratum, mo-  
 menti esse, neque valere ut ex his vel iure ciuili vel  
 Prætorio nascatur actio; sed tamen nihil prohibere,  
 quo minus improbus stipulator opposita etiam, si forte  
 ad

ad agendum perveniat, dolii mali aut nullitatis exceptione, repelliri possit.

Cetera quae in dicta lege a iureconsulto propo-nuntur auspicibus, quas vocant, Lectionibus expli-cabit, genere & virtute clarissimus iurium Candida-tus.

**GEORGIVS WOLFGANGVS  
SCHÜRSTABIVS  
PATRICIVS NORIBERGENSIS.**

Natus is est anno MDCLXXXII. Patre quidem usus Generoso viro, *IO. GEORGIO SCHÜRSTABIO*, Patricio Noribergensi, Matre *ANNA CATHARINA*, ex honestissima *ENGELHARDORVM* familia prognata. His, dum in viuis essent, nihil prius fuit nihilque antiquius, quam ut omnes partes optimorum parentum in filio explerent. Proinde recens in hanc lucem editum ante omnia *Deo & Seruatori Christo* obtulerunt, sacraque baptismatis vnda a com-muni illa mortalium labe purgandum abluendumque curarunt; sanctissimi etiam foederis sponsore ac te-ste rogato, *GEORGIO KRAFFTIO*, Mercatore No-ribergensi. Tum omnibus doctrinis, quibus pue-tilis vel adolescens etas impertiri debet, filium eru-dire.

diuerunt. Quo fine etiam priuatis publicisque formandæ pubis magistris traditus est, eorundemque fidelissima institutione egregios in litteris fecit progressus. Anno MCC II ad sublimiora quoque tractanda studia in Academiam patriam, Altdorffinam videlicet, se contulit, ibidemque philosophica pariter ac legitimæ disciplinae studia diligentissime excoluit; usus quidem institutione amplissimorum atque excellentissimorum virorum ROETENBECCII, MOLLERİ, WAGENSEILII, SPIZII, HILDEBRANDI, & WERNERI; cuius etiam sub præsidio in publico iureconsultorum auditorio de *impensis nuptialibus ex alio loco petendis*, summa cum laude disputauit. Emenitus Altdorffii legitimum studiorum stadium, nostram quoque Salanam petuit: commodumque ipsi accidit, ut eodem tempore excellentissimi antecessores, D. WILHELMVS HENRICVS BRVCKNERVS, & B. ADRIANVS BEIERVS, publicis priuatisque scholis Lauterbachianum iuris Compendium, Strykianumque feudalium iuris Examen eruditissimis discursibus explicarent. Postea inopinatum dilectissimi parentis factum domum reuocauit Nostrum. Ibi cum aliquando esset commoratus, suasu & auctoritate Sororii sui GREGORII GERHARDI, peditum ad Franconia Circulum spectantium, Magistri dum viueret fortissimi, in militiam init, bellicisque aliquot expeditionibus interfuit. Quia in re nobiliorem apud veteres Romanos imitatus est iuuentutem, ad eloquentiam scilicet ciuilem & scientiam militarem omnem industriam referens.

ferendam esse , persuasam . Tum missis armis ad Musas & Jurisprudentiae studia regressus est , visisque celeberrimis Academiis Argentoratensi , Heidelbergensi , ac Tubingensi , veluti de novo ea excoluit . Tandem domum feliciter reuersus , suauissimo connubii vinculo sibi iunxit *CATHARINAM ROSINAM MAIERIAM* , Matronam omnibus sexus sui decoribus ornatisimam , atque ex antiquissima & nobili *von der Venne* familia prognatam . Denique cum e re sua , generosaeque familie pariter ac patriæ Reipublicæ commodo esse videretur Nostro , summos in utroque iure capessere honores , eos a Collegio Nostro decenter petiit . Admissus itaque ad sollemnia examina in his eruditionem & legalem scientiam sic probauit , ut ad reliqua etiam specimina caue publica admittere illum nulli dubitauerimus . Itaque ad proximum Mercurii pro Jureconsultorum cathedra explicabit supra laudatam Legem VIII . *D. de Condičt. ob turpem cauſam.* Quem actum ut Pro-Rector Magnificus , Proceres Aulae & Academie spectatissimi , & quoquot præterea Jurisprudentiae vel Fautores vel Cultores existunt , honorifica sua praesentia illustriorem reddere velint , per officiose amanterque rogamus . P. P. in

*Academia Jenensi D. XXIII. Jun.*

M DCC XV.

(L.S.)

卷之二

W DCG MA


(23)

**ULB Halle**  
005 312 361

3







1715, 15  
19  
46.

# IO. CHRISTIANI SCHRÖTERI, D.

FACVLTATIS IVRIDICÆ ET SCABINATVS  
ADSESSORIS, ILLIVSQUE HOC TEMPORE  
DECANI

PROGRAMMA

LECTIONI AVSPICALI  
GEORGII WOLFGANGI SCHÜRSTABII

SVMMCRVM IN VTRQVE IVRE HONORVM  
CANDIDATI

ad L. 8. ff. da condit. ob suprem caniam

IENÆ,  
TYPIS WERTHERIANIS.